14.
(12)

ARTICULI

Pacis & Confœderationis

INTER

Sereniſsimum & Potentiſsimum Principem

CAROLUM II.

Dei Gratiâ Magnæ *Britanniæ*,
Franciæ & *Hiberniæ* Regem,
Fidei Defenſorem, &c.

ET

Celſos ac Præpotentes Dominos,

ORDINES GENERALES

FÆDERATI BELGII.

Concluſi quarto die menſis *Septembris*, *Anno Dom.* 1662.

LONDINI:

Excuſum per *Johannem Bill* & *Chriſtophorum Barker*, Typographos Regios.
M. DC. LXII.

CUM PRIVILEGIO.

Articuli Pacis & Confœderationis inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem *Carolum* II. Dei Gratiâ Magnæ *Britanniæ*, *Franciæ*, & *Hiberniæ* Regem, Fidei Defenſorem, &c. Et Celſos ac Præpotentes Dominos, Ordines Generales Fœderati Belgii. Concluſi Quarto die menſis *Septembris*, Anno Domini, 1662.

I.

IMprimis, Conventum & concordatum eſt, Quòd ab hoc die ſit vera, firma & inviolabilis Pax, amicitia ſincerior, intimior atque arctior Confœderatio & Unio inter Sereniſſimum Magnæ Britanniæ *Regem atque Celſos ac Præpotentes Ordines Generales Fœderatarum* Belgii *Provinciarum, Terraſque, Regiones, Civitateſque ſub utriúſque ditione ſine diſtinctione locorum*

rum positas, earumque subditos & Incolas cujuscunque demum gradûs fuerint.

II.

Item, Uti dictus Dominus Rex, dictique Domini Ordines Generales maneant Amici, Confœderati, necessitudine & Amicitiâ conjuncti & astricti, ad jura atque immunitates subditorum alterutrius contra quoscunque demùm tuendas, qui utriusve Statûs Pacem terrâ Marive disturbare conabuntur, vel qui infra alterutra Dominia degentes, publici utriusque Statûs hostes denunciabuntur.

III.

Item, Quòd dictus Dominus Rex, dictique Domini Ordines Generales nihil agent, facient, molientur, tractabunt aut attentabunt adversùs alterutrum, vel subditos alterutrius quocunque in loco, sive terrâ, Mari, Portubus, Districtibus, Sinibus & aquis dulcibus, quacunque occasione, nec eorum alter, vel subditi alterutrius, dabit, præstabit vel subministrabit ullum auxilium, consilium seu favorem, neque quicquam agi, tractari vel attentari ab alio quovisçunque assentiet in damnum aut præjudicium alterius vel subditorum alterutrius, sed omnibus & singulis degentibus & commorantibus vel existentibus infra alterutrius Dominia, qui contra alterutrum quicquam agent, facient, tractabunt vel attentabunt, uterque expressè & cum effectu contradicet, renitetur, atque impedimentum realiter præstabit.

IV.

IV.

Item, Quòd neque dictus Dominus Rex, vel dicta Reſpublica, neve ullus ex ſubditis alterutrius, Incolis, aliiſve in eorum ditione commorantibus, alterutrius Rebelles quocunque ſubſidio, conſilio, ſtudio fovebit & adjuvabit, ſed expreſsè contradicet, atque efficaciter obſtabit, ne quid auxilii aut adjumenti ab ullo qui aut ex Subditis, Incolis aut commorantibus in alterutrius Dominiis fuerit, ullis iſtiuſmodi Rebellibus prædictis, ſeu ſint viri, naves, arma, bellicus apparatus, aliáve bona interdicta, neque etiam pecuniæ aut commeatus ſeu victualia Mari vel terrâ ſubmittantur aut ſuppeditentur; Atque omnes naves, arma, bellicus apparatus, aliáve bona interdicta, etiam pecuniæ & commeatus ad quamcúnque perſonam vel perſonas pertinentia, quæ contra ſenſum hujus Articuli ſubmittentur aut ſuppeditabuntur, eidem parti (ubi perſonæ contravenientes fuerint) addicentur, & in fiſcum cedent: Quin & ii qui ſcientes & volentes quicquam contra ſenſum hujus Articuli fecerint, commiſerint, attentaverint, conſiliúmve dederint, utriuſque partis hoſtes judicabuntur, atque ibi perduellionis pœnas luent, ubi id commiſſum aut perpetratum fuerit: De ſpecificatione autem earum Mercium quæ prohibitæ aut Contrabandæ cenſebuntur, poſtea proviſum erit.

V.

Item, Quòd dictus Dominus Rex, dictique Domini Ordines Generales, ſibi mutuò ſincerè & fideliter (prout opus fuerit) contra alterutrius Rebelles, terrâ marique

opem ferent, viris & navibus eâ proportione, eoque modo, iisque conditionibus, de quibus poſtmodum convenerint, prout neceſſitas & rerum alterutrius ratio tulerit; ſumptibus tamen & expenſis illius partis quæ auxilium rogaverit.

VI.

Item, Quòd neque dictus Dominus Rex, neque dicta Reſpublica, ſubditive alterius, Rebellem vel Rebelles, profugum vel profugos alterius declaratos vel declarandos in ejus Dominia, Terras, Regiones, portus, ſinus aut diſtrictus, eorúmve aliquod recipiet, neque iis vel eorum alicui in prædictis locis, vel alio quocunque etiam extra ſua Dominia, Patrias, Regiones, terras, portus, ſinus aut diſtrictus, auxilium, conſilium, hoſpitium, milites, naves, pecunias, arma, apparatum bellicum vel Commeatum concedet, præſtabit aut miniſtrabit, neve alteruter iſtiuſmodi Rebelles, profugos à quacunque perſonâ vel perſonis recipi permittet in ſua Dominia, Patrias, Regiones, Terras, Portus, Sinus, Diſtrictus, nec iſtiuſmodi Rebellibus, profugis ullum auxilium, conſilium, hoſpitium, favorem, arma, apparatum, milites, pecunias aut Commeatum præſtari, miniſtrari aut concedi permittet, ſed expreſsè & cum effectu contradicet, obſtabit atque impedimentum realiter præſtabit.

VII.

Item, Quòd ſi alteruter aliquem vel aliquos, ſuum vel ſuos fuiſſe vel eſſe Rebellem vel Rebelles, profugum vel profugos, & in ſua Dominia, territoria, patrias, portus, diſtrictus,

diſtrictus, vel eorum aliquod receptum vel receptos eſſè, aut ibidem commorari, latitare, vel perfugium ſibi quærere, per literas ſuas publicas & authenticas alteri ſignificaverit & declaraverit; Tunc illa pars quæ hujuſmodi literas receperit, vel cui taliter ſignificatum vel declaratum fuerit, intra ſpatium viginti octo dierum à die prædictæ ſignificationis proximè & continuè numerandum, tenebitur dicto Rebelli vel Rebellibus, profugo vel profugis præcipere & mandare, ut extra ſua Dominia, patrias, regiones, terras, diſtrictus & eorum quodlibet ſinguli recedant & exeant: Et ſi quis prædictorum Rebellium aut Profugorum intra decimum quintum diem à die hujuſmodi præcepti & mandati non receſſerit & exiverit, ſinguli morte & amiſſione prædiorum & bonorum mulctabuntur.

VIII.

Item, Quòd nullus Rebellis dicti Domini Regis Magnæ Britanniæ *in aliqua Caſtra, Oppida, Villas, Portus, Diſtrictus vel alia loca, ſive privilegio donata, ſive non donata, quæ aliqua perſona cujuſcunque Statûs & dignitatis exiſtat vel exiſtet, infra Dominia & territoria Fœderatarum Provinciarum quocunque jure vel titulo tenet vel poſſidet, vel deinceps tenebit vel poſſidebit, recipietur, nec in ea per aliquam Perſonam cujuſcunque Statûs aut dignitatis fuerit, recipi, vel in iiſdem commorari permittetur aut tolerabitur: Neque dicti Domini Ordines Generales alicui hujuſmodi Rebelli in locis prædictis, in Navibus, Militibus, Pecuniis, Commeatu, aut alio quocunque modo, Auxilium, Conſilium vel Favorem per aliquam perſonam cujuſcunque Statûs aut dignitatis fuerit,*

de

de cætero dari aut præſtari permittent aut tolerabunt ; Verum id publicè & diſertè prohibebunt atque efficacitèr impedient : Et ſi aliqua perſona vel perſonæ, cujuſcunque ſtatûs aut dignitatis fuerint, manens vel degens, manentes vel degentes infrà Dominia Fœderatarum Provinciarum, earumve poteſtates, contra hujuſmodi conventionem aliquid fecerit ſeu fecerint ; Quòd tunc omnes & ſingulæ perſonæ talitèr facientes, omnibus ejuſmodi Caſtris, Oppidis, Villis, Prædiis cæteriſque locis quæ illi vel eorum alter eo tempore habent aut habet, vel quocunque jure aut titulo ſe habere prætendent aut prætendet, pro termino vitæ ſuæ exuentur & privabuntur. Paritèr nullus Rebellis dictorum Dominorum Ordinum Fœderatarum Provinciarum in Caſtra, Oppida, Portus, cæteráque loca, eorúmve aliquod ſive privilegio donatum ſive non donatum, quod quælibet perſona vel perſonæ cujuſcunque ſtatûs aut dignitatis exiſtat aut exiſtant, quocunque jure aut titulo tenet aut tenent, poſſidebit vel poſſidebunt infrà Regna vel Dominia dicti Domini Regis Magnæ Britanniæ *recipietur, vel à quacunque perſonâ vel perſonis recipi inibique verſari permittetur : Neque dictus Dominus Rex Magnæ* Brittanniæ *alicui hujuſmodi Rebelli in locis prædictis, in Navibus, Militibus, Pecuniis, Commeatu aut alio quocunque modo, auxilium, conſilium aut favorem per aliquam ejuſmodi perſonam vel perſonas cujuſcunque gradûs ſit de cætero dari aut præſtari permittet aut tolerabit, ſed publicè & diſertè prohibebit, atque efficacitèr impediet. Et ſi quis è ſubditis dicti Domini Regis vel infrà illius Dominia contra hujuſmodi conventionem quicquam fecerit vel attentaverit, omnes & ſingulæ perſonæ talitèr facientes omnibus iſtiuſmodi Caſtris, Oppidis, Villis,*

Prædiis,

Prædiis, cæteriſque locis quæ illi vel eorum alter id temporis habent aut habet, vel quocunque jure aut titulo ſe habere prætendent aut prætendet, pari modo pro termino vitæ ſuæ exuentur & privabuntur.

IX.

Item, Quòd dictus Dominus Rex Magnæ Britanniæ *ſubditique ejus, omneſque Majeſtatis ſuæ Dominiorum Incolæ; Item prædictæ Fœderatæ Provinciæ, earumque ſubditi & Incolæ, cujuſcunque Ordinis & Conditionis fuerint, ad ſeſe mutuò rebus omnibus humaniter atque amicè tractandum obligabuntur, uti terrâ vel aquâ alterutrius Regiones, Oppida, Pagos, ſive muro cincta, ſive non cincta, ſive munita ſive non munita, portus etiam & univerſam Partis utriuſque Ditionem in* Europâ, *liberè & ſecurè adire poſſint, in iisque verſari & commorari quamdiù voluerint, ibique ſine ullo impedimento Commeatum ſuis uſibus quantum neceſſe erit, coemere, atque etiam negotiari & Mercaturam facere quocunque Mercium genere ipſis videbitur, eaſque advehere ſuo arbitratu, aut exportare, dummodo quæ ſtatuta ſunt Portoria ſolvant, ſalvis etiam alterutrius Dominii Legibus & Statutis omnibus: Ità tamen ut ſubditi & Incolæ utriuſque partis Commercium ſuum exercentes in alterutrius Regionibus & ditionibus, non obligentur in poſterum plus portorii, cenſûs, Vectigalium aut aliorum tributorum ſolvere, quàm pro ratâ proportione quam alii extranei ſolvunt in iiſdem locis Mercaturam exercentes.*

X.

Item, Quòd Naves & Navigia dictarum Fœderatarum Provinciarum, tam Bellica & ad Hoſtium vim propulſandam inſtructa, quàm alia quæ alicui è Navibus Bellicis dicti Domini Regis Magnæ Britanniæ *in Maribus Britannicis obviam dederint, vexillum ſuum è mali Vertice detrahent, & ſupremum velum demittent, eo modo quo ullis retrò temporibus unquam obſervatum fuit.*

XI.

Item, In majorem Commercii & Navigationis Libertatem conventum & concluſum eſt, quòd dictus Dominus Rex Magnæ Britanniæ, *dictique Domini Ordines Generales in Portus ſuos, Urbes & Oppida non recipient, neque ſinent ut ullus ex ſubditis alterutrius recipiat Piratas aut Prædones, iiſve hoſpitium, Auxilium aut Commeatum præbeant, verùm operam dabunt ut prædicti Piratæ & Prædones, eorúmve Piraticæ participes, Conſcii, & adjutores, in aliorum terrorem inveſtigentur, capiantur & merito ſupplicio puniantur : Omneſque Naves, Bona, & Merces Piraticè ab iis captæ atque in portus alterutrius Dominii advectæ, quæ quidem inveniri poterunt, imò etiam ſi venditæ ſint, juſtis dominis reſtituentur, aut ſatisfactio dabitur vel earum dominis vel iis qui per literas Procurationis eas res vindicaverint, modò jus dominii debitis ex Lege probationibus in Curiâ cauſarum Maritimarum appareat.*

XII. *Item,*

XII.

Item, Non permiſſum erit Subditis Regiæ Majeſtatis, & Incolis Regnorum aut Terrarum illi obedientium aut Incolis & Subditis Fœderati Belgii, *Hoſtile aliquod aut violentum invicem moliri aut facere, ſive mari ſive terrâ, nullo prætextu aut colore; Et per conſequens non licitum erit dictis Subditis aut Incolis ab aliquo Principe aut Statu quibuſcum alterutri Fœderatorum diſcordia aliqua aut bellum apertum eſt, Literas Patentes (quas Commiſſiones vocant) aut Repreſſalias impetrare, & multò minùs vi iſtarum Literarum ſubditos alterutrius Fœderatorum aliquâ moleſtiâ aut damno afficere. Neq; etiam permiſſum erit Armatoribus extraneis, non ſubditis uni aut alteri Confœderatorum, habentibus Commiſſiones ab aliquo alio Principe aut Statu, ut in portubus unius aut alterius partium prædictarum, Naves ſuas inſtruant, ea quæ ceperunt vendant, redimere faciant, aut alio modo quocunque mutent, tam Naves, mercimonia, quàm alia onera quæcunque: Et nè quidem victualia coemere illis licitum erit, niſi quæ neceſſaria erunt ad perveniendum ad portum proximum illius Principis à quo Commiſſiones obtinuerunt: Et ſi fortè aliquis ſubditorum Regiæ Majeſtatis aut dictorum Dominorum Ordinum Generalium, emerit, mutatione, aut alio quocunque modo ſibi acquiſiverit ejuſmodi Navem aut Mercimonia quæ à ſubditis unius aut alterius capta fuerunt; Eo caſu dictus ſubditus tenebitur dictam Navem, Bona aut Mercimonia reſtituere Proprietariis ſine ulla dilatione, & ſine ulla Compenſatione aut refuſione pecuniæ pro dictis Rebus ſolutæ aut promiſſæ, modò coram Conſilio Regiæ*

Majeſtatis, aut dictis Dominis Ordinibus Generalibus probaverint ſeſe earum rerum Proprietarios eſſe.

XIII.

Item, Si dictus Dominus Rex Magnæ Britanniæ, *dictivè Domini Ordines Generales Fœderati* Belgii, *ullum Fœdus, Amicitiam, Conſœderationem aut Neceſſitudinem cum aliis quibuſcunque Regibus, Rebuſpublicis, Principibus aut Statubus contrahent aut paciſcentur, alter unà alterum ejuſque Dominia in iis eorumve quolibet comprehendet, ſi comprehendi voluerit, atque de omnibus iſtiuſmodi Amicitiæ & Conſœderationis Tractatibus alterum certiorem reddet.*

XIV.

Item, Quòd ſi acciderit, ut quamdiu Fœdus, Amicitia & Societas hæc duraverit, ab ullo ex ſubditis aut Incolis alterutrius Partis contra hoc Fœdus, aut ullum ejus membrum Mari, Terrâ, aut aquis dulcibus quicquam fiat aut tentetur, Amicitia hæc, Fœdus & Societas inter has Nationes non idcirco interrumpentur aut infringentur, verùm integra nihilominus perſtabunt, vimque ſuam plenariam obtinebunt: Tantummodò illi ipſi qui contra Fœdus prædictum commiſerint, ſinguli punientur, & nemo alius, Juſtitiaque reddetur & ſatisfactio dabitur illis omnibus quorum id intereſt, ab iis omnibus qui Terrâ, Mari, aut aliis aquis contra hoc Fœdus quicquam commiſerint ullâ in parte Europæ, *aut ubivis locorum intra fretum* Gaditanum, *ſive in* Americâ, *vel per* Africæ *Littora, ullisve in terris, Inſulis, æquoribus*

æquoribus, æſtuariis, Sinubus, Fluminibus, ullíſve in locis cis Caput bonæ ſpei, *intra anni ſpatium quàm Juſtitia poſtulabitur; In omnibus autem (uti ſupradictum eſt) ultra prædictum* Caput *locis, intra menſes octodecim quàm Juſtitia prædicto modo poſcetur. Quòd ſi verò Fœderis ruptores non comparuerint, neque ſe judicandos ſubmiſerint, neque ſatisfactionem dederint intra hoc vel illud temporis ſpatium pro loci longinquitate modò conſtitutum, prædicti illi utriuſque partis hoſtes judicabuntur, eorumque bona, facultates & quicunque reditus publicabuntur, plenæque ac juſtæ ſatisfactioni impendenda erunt earum injuriarum quæ ab ipſis illatæ ſunt, ipſique præterea cùm in alterutrius partis poteſtate fuerint, iis pœnis obnoxii erunt quas ſuo quiſque crimine commeruerit.*

XV.

Item, Conventum & concluſum eſt inter dictum Dominum Regem Magnæ Britanniæ *ac dictos Dominos Ordines Fœderati* Belgii, *quod* Inſula Pularon *reſtituetur dicto Domino Regi, aut iis qui ad hoc Diploma à Rege ſub Magno* Angliæ *ſigillo acceperint, idque ſimulac aliquis tali inſtructus Diplomate illuc pervenerit, ac illam reſtitutionem petierit; Et quò illud facilius & certius ad exitum perducatur, ab Ordinibus Generalibus & Societate Indicâ quæ eſt apud* Belgas *Diplomata ad hoc neceſſaria ipſi tradentur, ſtatim poſt Ratificationem hujus Tractatûs: Et quòd per reſtitutionem iſtius Inſulæ* Pularonis, *Actiones ac prætenſiones omnes, quas ſubditi unius & alterius partis ob damna, injurias, & offenſiones invicem in* Indiâ *illatas, & in*

Angliâ *cognitas ante* decimum / vigesimum Januarii *anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi* Octavi / Noni *sibi competere putant*; (*Hoc excepto, quòd scilicet qui se jacturam passos dicunt in duabus Navibus, videlicet* Bona avantura & Bona Esperenza, *poterunt litem inceptam prosequi*) *cessabunt, extinguentur, & annihilabuntur eo quo sequitur modo:*

Ut omnes offensæ, injuriæ, damna, ac dispendia (*excipiendo priùs excepto*) *quæ pars una ab alterâ pertulit, aut quomodolibet se pertulisse causari posset in* Indiis *Orientalibus, quorum quidem notitia aliqua fuerit* Londini *apud* Anglos, *aut* Hagæ Comitum *apud* Belgas, *ante Vigesimum diem* Januarii *anni Millesimi Sexcentesimi Quinquagesimi noni stylo novo, aut decimo* Januarii *anni Millesimi Sexcentesimi Quinquagesimi Octavi stylo veteri, in cæteris verò mundi plagis ex Capite quarumcunque actionum aut rerum quæ contigêre ante publicationem & notitiam pacis inter utramque gentem initæ die* quarto / quartodecimo Martii *anni Millesimi Sexcentesimi Quinquagesimi* tertii / quarti *penitùs deleta atque extincta remanebunt, ita ut neutra dictarum partium alteri negotium faceſcet ob aliquod istiusmodi damnum, offensam, injuriam, aut dispendia* (*excipiendo priùs excepto*) *sed eorum omnium singulorumque perfecta erit remanebitque abolitio, omnesque eo nomine lites, actionesque cassæ nullæque erunt: Cætera autem damna, offensæ, injuriæ & dispendia, quæ Gens* Anglicana *seu publico seu privatorum nomine affirmare poterit sibi obvenisse aut illata esse à Fœderatorum* Belgarum *Regimine, aut à Societatibus vel privatis eidem Regimini Subjectis; uti & vicissim quæ Fœderati* Belgæ *seu publico seu privatorum nomine sibi obvenisse aut illata esse causari poterunt ab* Anglorum *Regimine,*

aut

ant à Societatibus vel privatis eidem ſubjectis in Indiis *Orientalibus, poſt diem* $\frac{\text{decimum}}{\text{vigeſimum}}$ Januarii *anni Milleſimi Sexcenteſimi Quinquageſimi* $\frac{\text{octavi}}{\text{noni}}$, *aut ſaltem, quorum notitia ante eum diem* Londini *aut* Hagæ Comitum *non fuerit, atque in cæteris mundi partibus poſt publicationem & notitiam Pacis prædictæ anni Milleſimi Sexcenteſimi Quinquageſimi* $\frac{\text{tertii}}{\text{quarti}}$ *abſque ulla perſonarum, ſeu loci & temporis ulteriori diſtrictione aut exceptione, ſubmittentur, ſicut hiſce tabulis ſubmittuntur examini, arbitrio & deciſioni Commiſſariorum aut arbitrorum modo & conditionibus ut ſequitur:*

Ut Commiſſarii in res præteritas tantùm conſtituantur, neutiquam verò in futuras, quæ poſt diem concluſi Tractatûs accidere poterunt:

Uti Commiſſio eorum inpræterita ſolummodo, ut jam dictum eſt, directa clauſulam ullam generalem nequaquam contineat, ſed expreſsè circumſcribatur ac limitetur Catalogo ſpeciali qui Commiſſioni adjungetur; ità ut præter actiones eodem Catalogo deſcriptas, de nullâ aliâ re cognoſcere ipſis integrum ſit.

Ut autem de eo utrinque conveniat, Catalogus ab utrâque parte conficietur ac utrinque commutabitur, ut hinc inde ritè ac debitè examini ſubiici poſſit; ac ſi vel in hoc vel in illo inveniantur res quaſcunque ad Indias *Orientales ſpectantes, quæ ante diem* $\frac{\text{decimum}}{\text{vigeſimum}}$ Januarii *anni Milleſimi Sexcenteſimi Quinquageſimi* $\frac{\text{octavi}}{\text{noni}}$ Londini *notæ fuerunt quoad actiones* Anglorum, *aut eodem tempore* Hagæ Comitis *quoad actiones Fœderatarum Provinciarum, vel quæ in cæteris mundi plagis ante publicationem & notitiam Pacis prædictæ anni Milleſimi Sexcenteſimi Quinquageſimi* $\frac{\text{tertii}}{\text{quarti}}$ *acciderunt, aut etiam aliæ actiones ejus naturæ ut hujuſmodi arbitrio ſubmitti minùs*

aptæ

aptæ censeantur, ex ex Catalogis expungentur.

Postquam itaque de hisce Catalogis utrinque conventum erit, annus integer constituetur quo inter Serenissimæ suæ Majestatis Ministrum, atque Ordinum Generalium Commissarios Hagæ *Comitis, Negotia omnia iisdem Catalogis contenta, per amica colloquia componantur, & prætendentes, vel eorum Mandatarii hunc in finem speciali Mandato muniti, ante exitum sexti mentis prædicti anni* Hagæ *Comitis sistere sese tenebuntur.*

Hoc autem anno elapso, omnes ex actiones ob quas prætendentes, vel eorum Mandatarii Hagæ *fuerint, eo intuitu ut de iis amicabiliter transigeretur (quod per legitimum testimonium Ablegati Regis Magnæ* Britanniæ *& Commissariorum Ordinum Generalium, aut alterutrius, probare tenebuntur) & de quibus tamen antea ità transactum non fuerit, ad dictos Commissarios remittentur, ut tandem per eos aut componantur, aut decidantur: Qui quidem Commissarii post dictum annum elapsum, si aliquæ actiones tunc temporis ità amicè non fuerint compositæ, eo fine* Londinum *convenient, eruntque quaterni ab utraque parte; instruentur autem & munientur autoritate; fietque porrò hæc ipsa submissio & progressus in omnibus & per omnia eodem prorsus modo, quo anno Millesimo Sexcentesimo Quinquagesimo Quarto factum fuit: Ità tamen ut hisce super arbitrium Protestantibus Helvetiorum Cantonibus non deferatur.*

XVI.

Item, Quòd dicti Domini Regis subditi, quique sub ejus ditione fuerint, possint liberè, tutò ac securè in

Fœderati

Fœderati Belgii *Provinciis, & ſingulis ſuis ditionibus in* Europâ, *perque eas terrâ vel aquâ ad ulla in iis loca, vel ultrà eas iter facere, perque ulla earum Oppida, præſidia, munimenta tranſire, quæ ullis in locis Fœderatarum* Belgii *Provinciarum, aut alibi in earum ditionibus in* Europâ *ſunt vel erunt, Mercaturam in omnibus illis locis facientes; eorumque Negotiatores, Inſtitores, Famulive, armati ſive inermes (armati autem non amplius quadraginta ſimul) tàm ſine bonis ſuis & Mercimoniis, quàm cum iis quòcunque ire voluerint: Poterit item populus & Incolæ Fœderatarum* Belgii *Provinciarum eâdem Libertate frui in omnibus dicti Domini Regis ditionibus in* Europâ, *dummodò in hujuſmodi Commercio & Mercaturâ ſinguli alterutrius Dominii Legibus & Statutis utrinque pareant moremque gerant.*

XVII.

Item, Si Naves Mercatoriæ unius aut alterius ſubditorum per tempeſtatem, vel Piratas, vel aliam quamcunque Neceſſitatem, portum unius aut alterius Dominii intrent, indè ſecurè & liberè recedant cum Navibus & Mercimoniis, abſque aliquâ vectigalium aut aliorum jurium ſolutione: Ità tamen ut onus non diſtrahant aut divendant, aut venale quicquam proponant; nec moleſtiæ qualicunque aut viſitationi ſubjicientur; Modò nec perſonas aliquas, nec Merces in Navem receperint, aut quicquam egerint contrà Leges, Statuta aut conſuetudines ejus loci ubi portus (uti præmiſſum eſt) intraverint.

XVIII.

Item, Quòd Mercatores, Naucleri, Gubernatores & Nautæ alterutrius Partis, eorúmve Naves, bona aut Mercimonia in terris, portubus, Navium Stationibus aut Fluminibus alterius non prehendentur vel ſub arreſto detinebuntur ex Edicto quovis generali aut ſpeciali, ſive ad Bellum, ſive ad alium quemlibet uſum, niſi ſummâ neceſſitate id cogente, juſtâ etiam ſatisfactione ob id datâ: Ità tamen, ut detentionibus & arreſtationibus quæ ex jure & Legibus alterutrius Dominii rectè atque ordine fiunt, nihil hinc derogatum ſit.

XIX.

Item, Uti Mercatores utrinque, eorumque Inſtitores & Famuli, atque etiam Naucleri aliique nautæ, tàm eundo quàm redeundo Navibus per Maria aliáſque aquas, quàm in portubus alterutrius, aut in terrâ egreſſi, ſui ſuorumque bonorum defendendi causâ, omne genus arma tam offenſiva quàm defenſiva geſtent, utanturque: verùm ubi ad ſua quiſque hoſpitia ac diverſoria pervenerit, ibi arma ſua deponet ac relinquet, donec rurſus ad Navem ſe receperit, aut eò commeare velit.

XX.

Item, Quòd Naves præſidiariæ ſeu Bellicæ alterutrius partis, quamcunque in Mari Navem aut Naves Mercatorias quæ ad alterum vel alterius Subditos aut Incolas pertinuerint, quæ eundem curſum tenuerint, idémve iter fecerint

fecerint, obviàm habentes aut aſſequentes, iis præſidio eſſe, eáſque defendere tenebuntur, quamdiu eundem curſum tenuerint, contra omnes & ſingulos qui eas vi adorientur.

XXI.

Item, Siqua Navis aut Naves quæ Subditorum aut Incolarum alterutrius partis, aut neutralis alicujus fuerint, in alterutrius portubus à quovis tertio capiantur, qui ex Subditis & Incolis alterutrius partis non ſit, Illi quorum in portu, aut ex portu, aut quâcunque ditione prædictæ Naves captæ fuerint, paritèr cum alterâ parte dare operam tenebuntur in prædictis Nave vel Navibus inſequendis & reducendis, ſuisque dominis reddendis; verum hoc totum fiet dominorum impenſis, aut eorum quorum id intereſt.

XXII.

Item, Quòd Scrutatores cæteriqueid genus Officiales ex utrâque parte ad normam Legum alterutrius Dominii ſeſe dirigent, neque plus imponent exigentve, quàm per authoritatem ſibi commiſſam & accepta Mandata licuerit.

XXIII.

Item, Siqua injuria ab alterutro Dominio, ejúſve Subditis aut Incolis, alterius Subditis aut Incolis illata ſit, ſive contra ullos hujus Fœderis Articulos, ſive contra Jus commune, uti nullæ Literæ Repreſſaliæ, Mercæ, aut

Contra-mercæ ab alterutro concedantur, donec Juſtitia priùs juxta Leges ordinarias poſtuletur: Sin autem illic Juſtitia vel denegetur vel in longum protrahatur, tum uti dictus Dominus Rex dictique Domini Ordines Generales, aut delegati ejus Dominii cujus Subditi & Incolæ injuriâ affecti ſunt, ab altero in quo Juſtitia (uti ſupradictum eſt) denegatur aut differtur, aut ab illâ poteſtate quæ hujuſmodi poſtulatis audiendis conſtituta erit, publicè Juſtitiam poſtulent; ut omnes hujuſmodi lites vel amicè componantur, vel ordinario Legum proceſſu: Sin autem mora adhuc interpoſita erit, neque jus reddetur, neque ſatisfactio dabitur intrà tres menſes quàm hujuſmodi poſtulatio lata fuerit, tum demùm uti Literæ Repreſſaliæ, Mercæ, vel Contra-mercæ concedantur.

XXIV.

Item, Quòd illi qui ſpecialia Diplomata aut Commiſſiones ab alterutrâ parte obtinuerint, priúſquam illa Diplomata accipiant coràm eo Judice qui ea ipſis exhibebit, ſufficientem fiduciariam cautionem interponent per ejuſmodi homines qui reſpondendo pares ſunt, & non ejus Navis Socii aut participes, ſe nullum damnum aut injuriam alterutrius Subditis aut Incolis illaturos.

XXV.

Item, Conventum & Concordatum eſt, Quòd utriuſque partis Subditis & Incolis ad Portus utriuſque liber ſemper ſit acceſſus, in iiſque commorari & inde rurſus recedere liberum ei licitúmque erit, non ſolùm cum Navibus Mercatoriis & Oneratis, ſed & cum Navibus bellicis, ſive

ſive ad dictum Dominum Regem dictóſve Dominos Ordines Generales ſpectent, ſive eorum ſint qui ſpecialia Diplomata obtinuerint, ſive tempeſtatis vi, aut Maris periculo intraverint, ſive ut Naves reparent, aut commeatum coemant; modò octonarium Navium Bellicarum numerum non excedant, ſi ſuâ ſponte intraverint, nec diutiùs in Portubus aut circa Portus hæreant quàm ad Navium reparationem, coemenda Victualia, aliáſve neceſſitates fuerit neceſſe: Et ſi major Navium Bellicarum numerus, datâ occaſione, ad ejuſmodi Portus velit accedere, eas intrare nequaquam erit licitum, niſi priùs impetratâ ab iis veniâ ad quos Portus illi prædicti pertinuerint, niſi tempeſtate, aut vi aliquâ, aut neceſſitate compulſæ fuerint, quò Maris pericula effugerent. Quod cùm accidit, Præfectum ejus loci, aut ſummum Magiſtratum ſtatim de causâ ſui adventûs certiorem facient, nec diutiùs ibi hærebunt quàm illis à Præfecto aut ſummo Magiſtratu permiſſum erit, nec in iis portubus commorantes hoſtile aliquod, aut quicquam in præjudicium eorum molientur.

XXVI.

Item, Conventum & concluſum eſt, Quòd utraque pars verè & firmitèr obſervabit atque executioni mandabit præſentem Tractatum, omniaque & ſingula in eo contenta & comprehenſa, atque eadem ab alterutrius Subditis & Incolis obſervari & præſtari efficacitèr curabit.

XXVII. *Item,*

XXVII.

Item, Ad majorem cautelam & ſecuritatem Tractatûs hujus, & Confœderationis à parte dictorum Dominorum Ordinum Generalium Fœderatarum Provinciarum eorúmque Populi ſincerè & bonâ fide præſtandæ, conventum & concluſum eſt, ſicut & dicti Domini Ordines Generales his præſentibus conveniunt, ſéque firmitèr obligant & devinciunt, quòd omnes & ſinguli quos aut quem vel ipſi vel Ordines Provinciarum quocunque demùm tempore eligent, conſtituent aut præficient Capitaneum Generalem, Gubernatorem ſeu Præſidem Primarium, ſive Stadtholder, *Imperatorem Exercituum ſeu Militiæ in Terrâ, vel Admirallum ſeu Prætorem Claſſium, Navium, Copiarúmve Marinarum, obligabuntur & devincientur hunc Tractatum & omnia ejus Capitula juramento confirmare, itáque ſanctè & cum juramento ſpondere ſe quantum poſſint omnia ea religiosè obſervaturos, & executioni, quoad eos ſpectat, mandaturos, & curaturos ut ab aliis obſerventur & executioni mandentur.*

XXVIII.

Item, Conventum, concluſum & concordatum eſt, Quòd præſens Tractatus, atque omnia & ſingula in eo contenta & concluſa, à dicto Domino Rege Magnæ Britanniæ *dictiſque Dominis Ordinibus Generalibus Fœderatarum Provinciarum per Patentes utriuſque partis Literas Sigillo Magno munitas debitâ & authenticâ formâ intra tres menſes proximè inſequentes (aut citiùs ſi fieri poterit) confirmabuntur, & rati-habebuntur; mutuáque*

Inſtrumenta

Instrumenta intra prædictum tempus hinc inde extrahentur: Nec non & Tractatus hic & Confœderatio, statim à traditis & permutatis Instrumentis, formâ & loco solitis publicabitur.

Actum apud Palatium Aulæ Albæ Quarto die mensis *Septembris*, Anno Domini, 1662.

LONDINI,
Excusum per *Johannem Bill* & *Christophorum Barker*, Typographos Regios.
M. DC. LXII.